ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: PS. BONAVENTURA. HENRICUS SUSO. NICOLAUS DE LAAK. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS. BERTRANDUS DE TURRE. IOHANNES DE RUPELLA

14. Jh. Seite 18r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36895
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



18

Epla bti bnhardi de caritate ad seuerinum monachum.

Cogit me istantia caritatis tue monachorum michi amantissime seuerine aliquid tibi de caritate scribere atque supra memetipsum presumere et supra modum paruitatis mee. immo ut michi sentire uideor effundere deuacuo. et quod non habeo dare difficile. et tamen tibi acquiescat animus meus aliquid de ea dicere. sentiens quod ad eam digne tractandam nec cor nec lingua sufficiat. Quomodo enim de amore loquitur homo qui non amat qui uim non sentit amoris. De scientia caritatis quod non acquiritur ab exterioribus sed ab intra.

Dealus namque copiosa occurrit materia in libris. Huius uero aut tota intus est aut nusquam. quia non ab exterioribus ad interiora suauitatis sue secreta transponit sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus proinde de ea loqui digne potest qui secundum quod cor dictat interius exterius uerba componit. Uera doctrina sentit interius. quod docet exterius.

Ne igitur mireris si aliud de hac audire malle quam ipse loqui. Iuuo inquam audire uellem qui calamum lingue intingeret in sanguine cordis. quia tunc uera et ueneranda doctrina est. cum quod lingua loquitur conscientia dictat. caritas suggerit. spiritus ingerit. Falleris si me talem putas. immo fallor ego. Nam tibi quidem primum est in illa que omnia credit estimare de me supra id quod est in me. Homo debet estimare de alio maiora bona quam sint sua ignota.

Michi autem durum est bonum quod non habeo de me opinari. cum et si quid haberem expediret forsitan ignorare. Cum enim diligitur quod non est